

## DE MORTIS CAUSA DONATIONIBUS.

8.57.1

*Imp. Alexander A. Daphenae.*

Si donationi contineatur, ut altero defuncto ad alterum portio eorum quae donabantur pertineret, existente condicione, si mortis causa donatio perficiebatur, fideicommissi actio competit.

*PP. III k. Oct. Maximo II et Aeliano cons.*

[a. 223]

8.57.2

*Imp. Gordianus A. Zoilo.*

Intestata mortua quandam nuru tua neptis tua, quae ex ea filio tuo quoasita est, quandoque potest ad eius venire successionem.

1 ¶ Nec tamen ea post mortem filii tui, ex quo quoasierat filiam, alii nuptui se collocando dotem dans prohibebatur quam vellet condicione eidem doti dicere.

2 ¶ Sed si mortis causa donationem in fratrem suum conferens in casum mortis suae eam dotem eundem fratrem suum stipulari passa est, cum divi Severi constitutione etiam in mortis causa donationibus, si de cetero patrimonio quantum Falcidia iubet heres non habet, provisum sit, is qui nurui tuae heres extiterit eius constitutionis beneficium non prohibebitur postulare.

*PP. X k. Febr. Gordiano A. et Aviola cons.*

[a. 239]

8.57.3

*Impp. Diocletianus et Maximianus AA. et CC. Heredi.*

Nec fratri sui mortis causa recte factam donationem sorori rescindere licet.

*S. III k. Ian. Sirmi AA. cons.*

[a. 293]

8.57.4

*Imp. Iustinianus A. Iohanni pp.*

Cum de mortis causa donatione dubitabatur et alii quidem inter ultimas voluntates eam posuerunt et legatis adgregandam esse censuerunt, alii autem inter donationes quae inter vivos consistunt eam posuerunt, dubietate eorum explosa sancimus omnes mortis causa donationes, sive iuxta mortem facientis fuerint celebratae sive longiore cogitatione mortis subsecutae sunt, actis minime indigere neque expectare publicarum personarum praesentiam et ea quae super huiusmodi monumentis solent adhiberi, sed ita res procedat, ut, si quinque testibus praesentibus vel in scriptis vel sine litterarum suppositione aliquis voluerit mortis causa donationem facere, et sine monumentorum accessione res gesta maneat firmitate vallata et nullam calumniam accipiat neque propter hoc, quod gesta ei non accesserunt, inefficax esse atque utilis videatur et omnes effectus sortiatur, quos ultimae habent liberalitates, nec ex quacumque parte absimiles esse intellegantur.

*D. k. Sept. Constantinopoli Lampadio et Oreste vv. cc. cons.*

[a. 530]